

*Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui.*

Léctio Actuum Apostolorum

4, 13-21

In diébus illis:

- <sup>13</sup> Vidéntes príncipes et senióres et scribæ  
Petri fidúciam et Ioánnis,  
et compérto quod hómines essent sine lítteris et idiótæ,  
admirábantur et cognoscébant eos  
quóniam cum Iesu fúerant;
- <sup>14</sup> hóminem quoque vidéntes stantem cum eis,  
qui curátus fúerat, nihil póterant contradícere.
- <sup>15</sup> Iubentes autem eos foras extra concílium secédere,  
conferébant ad ínvicem <sup>16</sup> dicentes:  
«Quid faciémus homínibus istis?  
Quóniam quidem notum signum factum est per eos  
ómnibus habitántibus in Ierúsalem maniféstum,  
et non póssumus negáre;
- <sup>17</sup> sed ne ámplius divulgétur in pópulum,  
comminémur eis,  
ne ultra loquántur in nómine hoc ulli hóminum».
- <sup>18</sup> Et vocántes eos denuntiavérunt,  
ne ómnino loqueréntur neque docérent in nómine Iesu.
- <sup>19</sup> Petrus vero et Ioánnes respondéntes dixérunt ad eos:  
«Si iustum est in conspéctu Dei  
vos pótius audíre quam Deum, iudicáte;
- <sup>20</sup> non enim póssumus nos,  
quæ vídimus et audívimus, non loqui».
- <sup>21</sup> At illi ultra comminántes dimisérunt eos,  
nequáquam inveniéntes, quómo do punírent eos,  
propter pópulum,  
quia omnes glorificábant Deum in eo, quod accíderat.

Verbum Dómini.